Ingressi castra? an Divum quisquam obtulit ultro
Phœbæis similes radiis molemque, coloremque?
Atque equidem Troum pugnantum sœpe catervis
520 Permixtus (nec enim, quamquam jam segnior ætas,
Ad naveis possum ignavæ indulgere quieti)
Aut hos, aut vidi his simileis. Deus obvius, inquam,
Obtulerit taleis, ambos nam diligit æquus
Jupiter, & Jovis altisoni Tritonia proles.
525 At Laertiades: O nostræ gloria gentis,
Nelide, facile hæc, inquit, melioraque longe
Corpora cornipedum Dii largirentur equorum.
Nam quid enim Diis non facile? hos sed Thracius heros
Duxerat huc Rhesus, quem post bissena virorum
530 Funera lectorum, postremum stravit acerbo
Vulnere Tydides. Ditis quoque regna petivit
Argivum ad naveis speculator ab Hectore missus,
Sic ait exultans animo, fossamque præaltam
Prætervectus equis Regum stipante corona
535 Tydidæ alta petunt magno tentoria plausu.
Hic primum æripedes nitida ad præsepia ducunt,
Qua Diomedis equi lotumque, & dulcia farra
Carpebant reliqui, & sublimi in puppe Dolonis
Exuvias, atque arma locant, dum sacra Minervæ
540 Grata parant: ipsi interea sudore madenteis,
Fœdatasque cruore manus, atque ardua colla
Et crura, & femora alta lavant ad litoris undam.
Balnea deinde petunt, pinguique unguntur olivo.
Tum mensæ accumbunt, & dulcia vina Minervæ
545 Prima litant, plenosque bibunt crateras Jacho.

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Agamemnon copias in prælium educit, in quo post egregia facinora Coon Agamemnonem, Socus Ulyssem vulnerat, Paris Diomedem, Machaonem, atque Eurypilum. Patroclus ad Nestorem mittitur sciscitatum quemnam vulneratum secum adduxerit. Ab Nestore autem rogatur ut Achillem ad opem Græcis ferendam inducat, vel ipse sumptis Achillis armis in prælium exeat. Ille redux, quum in Eurypilum vulneratum incidisset, ad naves ad se delatum curat.

Ivis interea, ac miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, cælumque invecta tenebat
Thitoni croceum linquens Aurora cubile
Quum Jovis imperio Stygiis excita fluentis
5 Argolicas malesana petit Discordia puppeis,
Atque manu belli signum exitiale cruenta
Adtollens, navem ingentem conscendit Ulyssis,
Ut vocem hinc Ajax, inde exaudiret Achilles
Extremi Danaum. Hic magno Diva intonat ore
10 Horrendum inclamans, Martisque accendit amorem;
Nec patriam quisquam, aut dulceis reminiscitur Argos,
Ferrũ ardent, pulchramque omnes per vulnera mortem.
Atrides Danaos accingier imperat omneis
Ipse prior morsu quas fibula nectit aheno
15 Aptabat suris ocreas, dein pectora circum

V. 13. *Atrides*. Diomedes in quinto libro regnat. Agamemnon in hoc 11. Ajax infra in 13. Achilles ab 18, quem juxta reliqui duces silere, et latere videntur.

Loricam induitur, Cinyras quam miserat heros
Hospitij munus, Cyprias nam fama per oras
Ductores Danaum invasuros Pergama bello
Nuncia pertulerat. Cyani hanc bis quinque nigrantis
20 Intexunt virgæ, bis sex fulgentis & auri,
Bisque decem stanni albentis, tresque inde dracones,
Tresque hinc cærulei adsurgunt colla ardua circum.
Qualis versicolor rutilat sub nubibus atris
Ab Jove portentum miseris mortalibus Iris.
25 Deinde humeris ensem, clavis, auroque coruscum
Subligat, huic simili effulget vagina metallo,
Loraque distinctis retinent argentea bullis.
Tum clypeum assumpsit validum, varioque labore
Perfectum, corpusque viri simul omne tegentem
30 Mole sub ingenti. Intexti stant orbibus orbes
Ære decem, cyano medius niger eminet umbo,
Bis deni circum stanno ex candente refulgent.
Gorgonis hic monstrum, truculentaque lumina flammis,
Et Fuga, Terrorque, intortis magna ora chelydris.
35 Argento ex nitido lorum, & sinuata draconis
Tergula cærulei super. Huic curvatur in orbem
Tergeminum caput, & cervice exurgit ab una.
At capiti galeam induitur, cui vertice coni
Quatuor adsurgunt, clavis, cristaque trementi
40 Insignem super. Hinc binas dextra arripit hastas,
Ære renidenteis, validas, queis ferrea cuspis
Igne micat multo, flammamque ad sidera jactat.
Ipsa Mycenæo Regi Tritonia Pallas,

V. 16. *Cinyras*. Duos hujus nominis fuisse memoriæ est proditum. Hic Cypri Rex fuit, unde ea insula Cinyrea dicitur a Lucano Pharsaliæ lib. 8.

V. 31. *Cyano medius*. Cyanus proprie est species cœlestis coloris; sed quænam fuerit huic colori subiecta materies in dubio est. Chalybem ipsum crediderim, cui cæruleus ille, subnigriorque color superinduitur, de quo infra etiam in Achyllis clypeo.

V. 43. *Ipsa Mycenæo*. Regem maximum honore afficientes, & honorem populorum, atque studium conciliantes.

Junoque plauserunt, strepitumque dedere per auras.
45 Ad fossam tum quisque suos consistere currus,
Cornipedesque jubent, ipsi auro, armisque corusci
Hinc pedites, atque inde ruunt, magnoque tumultu
Arva boant, deinde ingenti clamore sequuntur
Turmæ equitum. Ecce autem visu mirabile monstrum.
50 Namque Deum genitor sublimi ex æthere rorem
Sanguineum immisit, pugnæ, stragisque futuræ
Argumentum ingens. Heu corpora quanta virorum
Ille neci dabit, ac tristem demittet in Orcum!
At parte ex alia Teucros Priamejus Hector,
55 Polydamasque urgent, & Diva matre creatus
Æneas, numen veluti quem Troes honorant,
Tresque Antenoridæ, Polybusque, & dius Agenor,
Atque Acamas juvenis Diis immortalibus ora,
Membraque persimilis. Primos at vertitur inter
60 Priamides clypeo insignis, galeaque rubenti.
Ac veluti stellæ jubar exitiale comatæ
Æthere nunc puro effulget, nunc condit opaca
Nube caput, sic Teucrorum prima agmina: moxque
Ultima perlustrans discursat Dardanus Hector
65 Ære micans, totoque vomens de corpore flammam.
Quale Jovis subitum vibratur ab æthere, fulgur,
Ægida quum quassans tonitru cava nubila rupit.
Adversique velut quondam per pinguia culta
Messores validi festinant viribus æquis
70 Occursare sibi, sternunturque hordea sulcis,
Farrave: flaventesque cadunt sub falce maniplí,
Sic Teucrum manus, atque manus ruit impigra Achivum
Inque vicem cœdunt, his nec fuga nota, nec illis,
Par furor, atque animi, tum sævi in monte lupi ceu

V. 61. *Ac veluti stella*. Quid simile supra de Diomede, & Pallade, ubi Virgilii locum consonantem adnotavimus.

V. 65. *Totoque vomens*. Quod Virgilius de Turno in 11. *Tota decurrens aureus arce*, & alibi sæpe.

75 Concurrunt, plauditque tuens Discordia dira,
Una etenim pugnæ intererat, reliqua æthere ab alto
Turba Deum, qua cuique domus per culmina Olympi
Martem adspectabant animis frendentibus, omne
Quod pater auxilium charis prohiberet Achivis,
80 Aut dare Trojugenis; sed enim Saturnius aurea
Sede sedens procul imbelleis irasque, minasque
Cœlicolum temnit, celsoque ab culmine Olympi
Iliacamque urbem spectat, Danaumque carinas,
Victriceis, victasque acies, splendentiaque æra.
85 Et cœlo dum sacra dies crescebat, anhelis
Necdum Phœbus equis medium conscenderat axem,
Marte pari Danaique cadunt, Troesque vicissim;
Montibus ast altis quum grata opsonia fessus
Lignator parat, ingenti jam parte recisa
90 Umbrosi nemoris, ventremque fatigat edendi
Ex longo collectus amor, hortantur Achæi
Sese omnes, vique ingenti Phrygia agmina rumpunt.
Ipse inter primos Agamemnon maximus ardet
Accinctus ferro, sternitque Bianora Regem,
95 Cornipedumque simul domitorem sternit Oileum.
Hic curru ex alto in terram descenderat, hostem
Magnanimum invadens, hasta tamen ille ruentem
Percutit ad frontem, nec restitit ærea cassis,
Perque ipsam vadit, commixtoque ora cerebro
100 Fœdantur juveni, formosaque pectora nudos
Detracta hos tunica geminos in pulvere linquit.
Antiphus hic, Isusque olli stetit obvius, ambo
Priamidæ, nothus hic justa sed conjuge natus
Ille prior, regit Isus equos, sede Antiphus alta
105 Bella ciet. Phrygiæ densis in saltibus Idæ
Nactus oveis juxta Pelides maximus ambos

V. 82. *Celsoque ab culmine*. Similis imago illa Virgiliana:
„ Terras unde arduus omneis
„ Castraque Dardanidum spectat, populosque Latinos „.

Ceperat, intextoque ligarat vimine quondam,
Dein patri incolumeis dederat, pretioque redemptos.
Atrides Isum magna transverberat hasta
110 Ad pectus mammam supra, ferit Antiphon ense
Juxta aurem, cadit exanimis, currumque relinquit.
Aureaque Atrides Agamemnon detrahit arma
Festinans, faciesque virum sibi nota recursat,
Namque olim ad naveis vinctos memorabat Achillei.
115 Et celeris leo ceu cervæ tenebrosa per antra
Lactenteis fœtus vorat horridus ore cruento,
Ossaque confringit (miserum) nec territa quicquam,
Ipsa audet mater, quercetaque densa pererrat,
Et nemus umbriferum, largus fluit undique sudor
120 Interea, & tremulos quatit æger anhelitus artus,
Haud secus aufugiunt trepida formidine Teucri,
Nec potuit quisqnam ab miseris avertere fatum,
Pisandrum hinc contra, Hippolochumque ruebat Atrides
Antimachi geminam sobolem, qui in bella comanteis
125 Impulerat Teucros, donis illectus, & auro
Idæi Paridis, Menelao reddere pulchram
Tyndaridem ut nollent verbis persuasor apertis.
Hos, inquam, geminos currumque, rotasque regenteis
Atrides capit; at manibus labuntur habenæ,
130 Usque adeo trepidant; contra ut leo tendit Atrides.
Olli supplicibus Regem sic vocibus orant:
Atreo gnate, sine has animas, & præmia factis
Accipe digna tuis, ærisque, aurique talenta,
Et ferrum nitidum, longos congesta per annos,
135 Quæ genitor dabit Antimachus, miseratus utrumque
Si gnatum incolumem ad naveis servaris Achivas.
His frendentem animum dictis inflectere blandis
Conantur miseri; at blanda non voce precanteis
Excipit Atrides: Belli commercia vester
140 Sustulit ista prius genitor, qui occidere Ulyssem,
Atridemque etiam Menelaum suaserit olim
Legatos Danaum Trojana ad litora vectos.

Nunc patris scelus infandum vos morte luetis.
Dixerat atque una transfossum pectora ferro
145 Pisandrum deturbat equis, ruit ille supinus.
Hippolochum dein sternit humi, & cervice recisa
Ire sinit truncum veluti, & qua densior urget
Pugna virum ruit intrepidus, Regemque sequuta
Turba ruit Danaum: fugienteis gramine toto
150 Tum peditem pedites, equites eques usque fatigat,
Pulvereamque ciet nubem gravis ære sonoro
Ungula tellurem quassans; at magnus Atrides
Hortaturque suos, trepidisque acerrimus instat.
Ut vero in nemore ingenti quum flamma vagatur
155 Ventorum hac: illac torquentum turbine multo
Frondentes rami, & totis cum stirpibus arbor
Densa cadit, sic per campos cristata cadebant
Teucrorum capita Atridæ sub vindice ferro.
Æripedes & equi vacuos sine pondere currus
160 Raptabant strepitu horrisono, & cervicibus altis.
Vulturibus sed enim domini data præda jacebant,
Et gnatis dolor, & miseris uxoribus ingens.
Hectora sed procul a strepitu semoverat omni
Jupiter, ab telisque procul, pugnaque cruenta.
165 Diffugiunt turbatæ acies, urbemque reposcunt
Ili Dardanidæ terreno ex aggere bustum
Qua jacet, & ramos patula expandit caprificus.
Palanteis sequitur clamans, atque urget Atrides,
Sanguineque, & nigro fœdatus pulvere dextram.
170 Ut Scæas ventum ad portas, fagumque comantem
Dardanidæ steterunt, properanteisque æquore toto
Exspectant socios, quibus indefessus Atrides
Instat adhuc, velut ille reducta in valle juvencas
Territat horrendum infrendens leo nocte sub alta
175 Una omneis, fugiunt reliquæ, mors imminet uni
Dura tamen, validis quam dentibus ille trucidat,
Cervicem primum infringens, artusque trementeis,
Visceraque, & calidum rabido bibit ore cruorem.

Haud secus ante alios toto furit æquore campi
180 Fervidus Atrides postremum quemque cruenta
Hasta, aut ense premens. Olli trepidantque, ruuntque,
Exanimesque rotis labuntur plurimi ab altis.
Jamque propinquabat muris, urbemque tenebat,
Quum Divum pater, atque hominum delapsus Olympo
185 Idæ multijugæ sublimi in vertice sedit
Aureus, horrificamque armabant fulmina dextram.
Auratisque procul celerem vocat Irida pennis:
Iri, age, Priamidæ nostra hæc mandata referto.
Dardaniis donec campis Agamemnona Regem
190 Viderit irrumpentem acies, teloque furentem
Primores inter, sternentemque agmina ferro
Ipse pedem retrahat turmas hortatus in hostem,
Quum vero aut hasta domitus, volucrive sagitta
Conscendet currus, referetque ad litora gressum,
195 Ingruat, audentem victoria certa sequetur
Ad naveis cursu donec pervenerit altas,
Phœbusque occiderit, sacra noxqne incubet umbra.
Hæc ait: illa jugis subito ab sublimibus Idæ
Ilion adproperat, qua Dardanus Hector anhelis
200 Stabat equis, curruque procul sublimis in alto.
Diva viro patris exponit cælestia jussa,
Confestimque polum repetens volat ocyor Euro.
Continuo terram saltu petit impiger Hector,
Longa manu lato vibrans hastilia ferro,
205 Hortaturque viros, primasque exsuscitat iras.
Convertere Phryges frontem, adversique resistunt,
Densantur Danai, & crudescunt prælia rursum.
Laudis amor primum raptat per gramina Atridem.
Dicite nunc, Musæ, proles Jovis, obvius olli
210 Quis prior aut Teucrum, aut sociorum ex agmine venit?
Iphidamas Antenorides fortissimus heros.
Hunc avus in magnis nutriverat ædibus olim
Threjcia tellure procul, glebæque feraci,

Et pecudum, Cysses, cujus formosa Theano
215 Gnata fuit; sed vix lapsis puerilibus annis
Florebant juveni prima lanugine malæ,
Delegit generum, gnatamque huic tradidit heros.
At linquens thalamos, vixque incœptos hymenæos
Grajorum adventum Iphidamas, famamque sequutus
220 Bissenis ratibus Trojana in litora venit.
Percopis deinde in tuta statione relictis
Navibus, ipse pedes socium se adjunxerat urbi.
Ut prope constiterunt, hastam contorquet Atrides;
Sed diversa tamen liquidum secat aera longe.
225 Iphidamas contra ruit, & qua baltheus infra
Thoracem effulget, ferratam dirigit hastam,
Impellitque manu valida, atque obtrudere certat.
Restiterunt sed enim conanti cingula multo
Argento solida, & cuspis, ceu plumbea, retro
230 Flectitur; ast animis ingentibus acer Atrides
Correptum trahit ad sese, ac telum eripit hosti,
Ceu leo, tum jugulum gladio petit, æreus olli
Obrepit somnus, solvuntur frigore membra.
Heu miserande puer! Nec te pulcherrima conjux
235 Deflevit, pressitve oculos, qui expertus amores
Vix primos, niveo solvisti e pectore zonam.
Cui dotem egregiam, taurorum ingentia centum
Corpora præstiteras, decies centena daturum
Pollicitus, pingueis & oveis, simasque capellas
240 Quæ tibi Threicios tondebant prata per agros
Interea exultat conferta per agmina Grajum
Exuvias, atque arma ferens insignia ductor.

V. 214. *Et pecudum Cysses*. Communis est Virgilianorum interpretum opinio Cyssem hunc eundem esse, ac Dymantem, Hecubæ patrem, quod Virgilius Hecubam Æn. 1, & 2. Cysseidem appellaverit. At Homerus Theano semper Cysseidem, Hecubam nunquam ita appellavit, immo Cyssem a Dymante aperte distinguit. Primum enim in Thracia, secundum in Phrygia regnasse asserit. Sed de hoc fortasse alibi.

Ingemuit magno perculsus corda dolore
Fraterna de cæde Coon, Antenoris ille
245 Gnatorum major, turbaque tegente repostus
Telum ex insidiis magno cum robore torquet,
Atque infra cubitum Regem ferit, ærea cuspis
Adversam meat in partem: neque segnior heros
Horruerat quanquam, pugna, campisque recedit.
250 Adversumque Coona fremens longa irruit hasta.
Ille quidem turba e media Iphidamanta trahebat
Correptum pede festinans, Teucrumque vocabat
Ductorum primos: olli latus haurit apertum
Sub clypeo Atrides, gelidumque extendit in herba.
255 Sic Antenoridæ gemini pugnacis Atridæ
Occubuere manu, & Cociti ivere sub undas.
Ille hasta, gladioque furens, saxisque pererrat
Per cuneos, nec dum motum tardaverat omnem
Plaga recens, calidusque fluit de vulnere sanguis.
260 Ut stetit, ingentes Regem subjere dolores,
Parturiens quantis urgetur fœmina, quondam,
Quos sæve immisere Deæ, Junonia proles,
Quæ primæ præsunt nascentibus Ilithijæ,
Conscenditque rotas, & puppeis tendere ad altas
265 Aurigam jubet, ac magna ciet agmina voce:
O flos Grajugenum, ab curvis arcete carinis
Exitium, me quandoquidem fata aspera totum
Decertare diem prohibent, & sternere Teucros.
Dixerat hæc, urge bijuges auriga comanteis,
270 Hique haud inviti accelerant, tum nimbus arenæ
Tollitur & spumis humescunt pectora canis
Urgentumque viam, Regemque in castra ferentum.
Hector ut Atridem cernit discedere campo
Trojanas, Lyciasque instigat voce cohorteis
275 Nunc Troes, Lyciique manum, nunc, Dardana pubes
Ferte citi, fugit ille virum fortissimus; at me
Fata juvant, decus hoc nobis Saturnius ipse,
Hoc signum dederat, laudem non invidet Hector

Hanc vobis, ruite in Danaos. Sic ore loquutus,
280 Instauratque animos, veluti quum dentibus albis
Ille canes aprum contra, torvumve leonem
Instigans venator agit. Prima agmina ductor
Ipse regit, Marti similis, molemque, oculosque,
Qualis ubi rapida æthereo venit axe procella,
285 Et ferrugineum volvit mare vortice torto.
Tum quem postremum, quem primum straverit heros
Diva cane. Assæum primo, Autonoumque, & Opiten,
Et Dolopem Clytiden, & Opheltion, atque Agelaum,
Æsymnumque, Orumque duces, & robore clarum
290 Hipponoum, ingentemque virum sine nomine turbam.
Ceu quondam imbrifero Zephyrus quum turbine, toto
Nubila agit cœlo, crebrique ad litora fluctus
Volvuntur tumido in ponto, tum spuma sub auras
Spargitur, & saxis allisa remurmurat unda,
295 Priamidæ ardentis ferro tot densa cadebant
Argivum capita: ac miseris extrema fuisset
Illa dies, ratibusque cavis, nisi magnus Ulysses
Talibus adstantem urgeret Diomedea dictis:
Quid lenti hic agimus, Tydeo sate? Nunc opus armis.
300 Huc ades. An puppeis nobis spectantibus Hector
Tradiderit flammis? Tydides talia contra:
Ecce adsum; sed non dextra defendier ulla
Classem posse, reor; Teucris victoria quando
Ab Jove missa favet, non tristibus illa Pelasgis.
305 Dixit, Thymbræumque rotis deturbat ab altis
Ære gravi ad lævam percussum pectora mammam.
At Regis famulum Molionem sternit Ulysses.
Exorteisque viros pugnarum in pulvere linquunt.
Olli apri ut gemini properant, turbantque ruentes,

V. 281. *Ille canes*. Ille in comparationibus Latinis frequenter abundat, quod in Virgilio observavit Cerda, & Ruæus in 1.
„ Ac velut ille canum morsu de montibus altis
„ Actus aper &c.

310 Apri ceu gemini, incurvo qui dente Molossos
Toto agitant nemore. Ast acies respirat Achivum
Interea, sistuntque fugam: cadit Amphius acer
Tydidæ ferro, atque armis insignis Adrastus,
Quos revocare Merops genitor sæva arma frementeis
315 Artibus haud ullis potuit Percosius augur.
Obstiterunt, juvenes nimirum in bella vocabant
Tristesque Eumenides, & ineluctabile fatum.
Tydides domitos fulgentibus exuit armis.
Hippodamusque cadit, cadit atque Hipirochus ingens
320 Oppugnante Ithaco, Martisque hinc inde laborem
Ab summa æquavit despectans Jupiter Ida.
Sternuntur, sternuntque pares, tum Pæone natus
Tydidæ intorta procumbit Agastrophus hasta.
Forte pedes (namque & bijuges, currusque tenebant
325 Inde procul famuli) primores inter obibat
Bellantum turmas, donec Diomedis acuto
Effudit sub telo animam, lucemque reliquit.
Talia prospiciens in pugnam Dardanus Hector
Cum clamore ruit, sequitur Trojana juventus.
330 Horruit adspectans Tydides, istaque rursus
In nos pestis, ait, galeatus volvitur Hector;
Sed stemus, Laertiade, obstemusque ruenti.
Sic loquitur, stridensque manu simul evolat hasta;
Et galeam venit in summam; verum ære repulsum
335 Æs resonat, neque Priamidæ de corpore strinxit.
Ipse viro galeam ingentem nam Phœbus Apollo,
Ac triplicem dederat: retro Priamejus heros
Vertitur actutum, turbaque tegente recedit,
Labitur inque genu, caligoque lumina circum
340 Fusa tegit; Tydeoque satus jam qua impetus hastam
Detulerat, per densa virum ruit agmina, ferrum
Devulsurus humo, & pugnam rediturus in acrem,
Quum subitus membris rediit vigor, inque coruscum
Priamides currum salit, ac subducitur hosti.
345 Tydides tali properantem est voce sequutus:

Bis jam fata fuga vitasti, perfide, bisque
Instanti eripuit lætho te Phœbus Apollo,
Quem supplex in vota vocas ruiturus in arma:
Forte alias tamen haud fugies, si dexter Olympo
350 Et mihi pugnanti Deus est: nunc æquore toto,
Quos potero, sternam ferro. Sic fatur, & arma
Pæonidæ vesteisque rapit spolia ampla jacentis.
Forte procul stabat prisco de more columna.
Alta, ingens, vetus ad Regis sublata sepulchrum
355 Ili Dardanidæ: hac tectus Diomedea contra
Tyndaridis raptor curvos sinuaverat arcus.
Fortis Agastrophei galeam, clypeumque trahebat
Ille gravem, & vario insignem thoraca labore.
At Paris incurvosque arcus, nervumque retraxit.
360 Nec volat incassum dextra exitialis arundo,
Sed venit in medium dextri pedis, actaque supra
Transversum meat, immotumque affigit arenæ.
Illicet e latebris in apertum desilit æquor
Subridens Paris, & tumido hæc de gutture jactat:
365 At non cassa manu, aut tenueis diversa per auras
Cuspis iit, penitusque utinam per viscera ferrum
Egissem tibi quem metuit Trojana juventus,
Caprarum veluti truculentum turba leonem.
Talia jactanti, Tydei sic filius inquit:
370 Huc, huc, ista mihi propius cane, bellule, adulter,
Semivir, haud etenim quicquam pulcherrima prosint
Arma tibi, teretesque arcus, volucresque sagittæ.
I, nunc perstrictæ jacta te vulnere plantæ,
Quantum vel pueri fieret, tenuive puellæ
375 Mollis acu; at non illa metum, non illa dolores
Tela ferunt crudos, quæ imbellis dextera torsit;
Sed mea non unquam sine cæde, aut sanguine multo

V. 371. *Semivir*. Simili contumelia Turnus apud Maronem, Æneam afficit: *da sternere corpus . . . . Semiviri Phrygis* in 12, & in 4. *cum semiviro comitatu*. Vide ibi interpretes.

Impetit hasta viros, defletque miserrima conjux
Purpureas laniata genas, orbataque proles.
380 Interea madida miser in tellure putrescit,
Gratior alitibus, quam mollibus ille puellis.
Talia dum fatur, propius stetit obvius ipsi
Neritius ductor, telumque ab vulnere traxit.
Tum vero ingenti correptus membra dolore
385 Conscendit currum, & naveis contendit in altas.
Unus erat super in campis Laertius heros
Ductorum ex numero, reliqui nam tuta tenebant
Castra fuga, hæcque animi incertus secum ipse volutat:
Hem quid agam? Turbam fugienti dedecus ingens
390 Imminet; at certum exitium, fatumque manenti.
Namque duces Divum genitor deterruit omneis,
Inque fugam vertit. Verum hæc quid mente revolvo?
Ignavi fugiant; fortem decet agmina contra
Stare virum, & ferro impetere, aut occumbere ferro.
395 Talia dum versat, pubes clypeata repente
Dardanidum ingruerat, mediumque incluserat hostem.
Atque aprum veluti juvenum quum turba fatigat,
Visque canum: nemore umbroso, dumisque relictis
Ille ruit, niveis infrendent dentibus ora.
400 Circum olli jaculis, tutisque latratibus instant,
Horrentemque urgent licet, atque immane frementem,
Sic Teucrum glomerata phalanx circumstat Ulyssem.
Ille furens tamen ingentem consurgit in hastam,
Atque humerum supra percussum Dejopitem,
405 Deinde Thoona premit, cadit Eunomus, & cadit acer
Chersidamas. Olli bijugos dum deserit altos
Orbe sub ingenti clypei subit ilia ferrum,
Telluremque manu, volvens se in pulvere prensat.

V. 383. *Neritius ductor*. Ita dictus Ulysses ab insula Nerito, quæ ipsius parebat imperio, de qua Virg. in 3, & *Neritos ardua saxis*, aut potius a Nerito ithacæ monte, de quo Homerus, unde Neritium Ulyssem appellarunt Ovidius, & Silius Italicus lib. 2.